



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilivm Africanvm III. Svb Anastasio, anno Christi 401. Vincentio & Flauto consulibus, Idibus Septembris habitum de Donatistis ecclesiae reconciliandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANASTASIUS }
P. I. AFRICANVM II. }
ARCADIUS } IMP. 597
HONORIUS }

ANNO
CHRISTI
401.

CONCILIVM AFRICANVM II.
SVB ANASTASIO,

anno Christi 401. post consulatum Stiliconis 14. Kal.
Iulias celebratum.

*In quo ad Anastasium Romanum pontificem, & Venerium
Mediolanensem episcopum legatio decreta fuit.*

Extat Græce & Latine infra post epistolas Cælestini sub nomine
Concilii Africani. Initium eius hoc est.

POST consulatum Flauii Stiliconis viri clarissimi, deci-
mo quarto Kalendas Iulias, &c. *cum sequentibus 32. ca-
pitulis vsque ad 32. inclusivæ. Vide infra loco allegato.*

NOTA.

^a *Concilium.*] Hæc Synodus celebrata post primum consulatum
Stiliconis, quando adhuc Anastasius pontifex in viuis superesset, ad
annum Dom. 401. qui est Anastasii 4. Arcadii & Honorii 7. est refe-
renda. Posteriore enim consulatu Stiliconis, qui in annum Domini
407. incidit, Anastasius, cuius hic fit mentio, e vita migrarat. Cau-
sa habitus Concilii fuit, vt decernerentur legati, qui ab Anastasio
Romanæ, a Venerio Mediolanensis ecclesiæ episcopo peterent, vt A-
fricanae ecclesiæ clericorum inopia laboranti succurrerent. Vtrūque
Africanae ecclesiæ petitioni acquiescisse, ex coniecturis colligit Bar.
an. præd. num. 7. His peractis, triginta duo Canones de ecclesiastica
disciplina, hoc aliisque præcedentibus Conciliis Africanis constitui,
in hac Synodo confirmati, velsaltem iterum promulgati fuerunt.

Tempus
Concilii.

Causa Con-
cilii.

ANNO
CHRISTI
401.

CONCILIVM AFRICANVM III.
SVB ANASTASIO,

anno Christi 401. Vincentio & Flavito consulibus, Idibus Se-
ptembris habitum de Donatistis ecclesiæ reconciliandis.

Extat Græce & Latine infra post epistolas Cælestini sub nomine
Concilii Africani. Incipit sic.

VINCENTIO & Flavito viris clarissimis consulibus, Idi-
bus Septembris, &c. *cum subsequens viginti Cano-
nibus vsque ad 52. inclusivæ. Vide infra loco allegato.*

Ffff iij

NOTA.

Causa Con-
cilii.

Concilium.] Causa habiti Concilii hæc est. Anastasius pontifex de vniuersali ecclesia ex officio iure meritoque sollicitus, sciens Africanam ecclesiam ex Donatistarum schismate magnopere laceratam, de vnitare ardentiore studio procuranda ad Aurelium Carthaginensem, aliosque aliarum prouinciarum in Africa episcopos literas dederat. Cuius admonitionem iidem plurimi facientes, generale Concilium Idibus Septembris anno 401. Carthagine celebrandum indixerunt. Statuto tempore conuenientes, ne qui seposita seueritate leuiter cum ipsis agere decreuerant, rationibus, si foret necessarium, destituti viderentur, illud in primis excogitarunt, vt ab Africanarum prouinciarum præfectis & iudicibus, Primianistarum contra Maximianistas res gestas, in publica monumenta relatas, consequerentur, eo fine, vt ex propriis actis manifesti erroris conuinci possent: vtque etiam quæ ipsi contra Maximianistas sæpius perpetrassent, frustra catholicis obiici intelligerent. Secundo decretum est, vt quo facilius ad pacem & vnitatem ecclesiæ schismatici redeant, ab Anastasio pontifice aliisque transmarinæ ecclesiæ episcopis pro bono pacis indulgeri ac permitti petatur, vt Donatistæ ad ecclesiam catholicam redire volentes, in iisdem ordinibus apud suos ante susceptis (si hoc recipiens episcopus conducere existimat,) perseuerare possint. Hoc ipsum Anastasium pontificem indulsisse, certum illud est argumentum, quod constat ex August. contra Crescon. lib. 2. c. 11. & 12. Africanos episcopos ea potestate sibi procul dubio concessa vfos fuisse. Tertio ex suggestione S. Augustini decretum, vt ad facilius conciliandos Donatistas legati mittantur, qui literas a Carthaginensi episcopo omnium nomine scriptas secum asportarent eo fine, vt qui ad bonum pacis cum Maximianistis coniunctionem ineundam esse decreto vniuersalis Concilii decreuerant, scirent, id propter totius orbis Christiani pacem & concordiam ineundam, magis solícite a se præstari ac fieri debere. His peractis, XIV. Canones ad disciplinam ecclesiasticam recte instituendam, & ex antiquioribus regulis reformandam, partim hoc, partim aliis præcedentibus Conciliis constituti, in hac Synodo promulgati reperiuntur. Baron. anno 401. num. 9. & seqq.

Acta Con-
cilii.